1530.

155

Sigismundus Rex Poloniae
Venceslao Plebano Grodnensi

Reverende in Christo Pater devote nobis dilecte. Vacante per id tempus Episcopatu Medniensi huc usque deliberavimus quem illi preficere debeamus, cupientes et Provinciae illi, quae et nova fide sancta Catholica, et hereticis Luterana Peste infectis vicina est de bono Pastore, et bonis quae a Praedecessoribus nostris Ecclesiae donata sunt, de bono Patre familias et curatore providere in qua deliberatione nostra cum venissent nobis in memoriam merita et officia tua Dominationis quae in aula Reverendissimi felicis recordationis Domini Joannis de Lasko archiepiscopi Gnesnensis egregie praestitit ante alios Dominationem tuam, ad hoc Episcopatus functionis munus idoneum dignumque iudicavimus, quare partim propter illius cognitam nobis virtutem et doctrinam, partim ex mera gratia nostra Regia Dominationi tuae Episcopatum Medniens. praedictum contulimus, ad illumque pleno iure obtinendum Dominationem tuam summo

Pontifici

Pontifici et nominavimus et commendavimus per literas nostras, illam tuam hortamur ut tam in administratione Episcopatus praedicti quam in tractandis officiis ad bonum Consiliarium spectantibus nobis diligentiam et fidem suam commendare studeat, et curet hoc pro debito suo et gratia nostra Dominatio tua semper factura. Datt Cracoviae etc.